



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii**

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

**Maffei, Pietro Antonio**

**Augsburg ; Regensburg, 1740**

**VD18 80488153**

Pro die sexta Meditatio secunda. De duobus vexillis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

cepta, in tua semper paterna benedictione,  
& protectione lætemur. Per Dominum  
nostrum IESUM Christum &c.

*Dies sexta*

*Meditatio duodecima.*

*De duobus vexillis.*

**O**Mnis viator viæ illius, per quam  
mille periculis, mille difficultatibus  
septem, ipsi in patriam redeundum  
est, ignarus, ne erret, ducem quærit. No-  
bis verbum Incarnatum, de quo scriptum  
est Isa. c. 55. *Dedi eum ducem, & præceptorem,*  
datum est pro magistro & duce, qui nos  
doceret, nobisque iter monstraret tutum ac  
certum salutis, & perfectionis. Præsens me-  
ditatio nobis animos addet ad sequendum  
ducem tam peritum & fidelem, ejusque præ-  
menda vestigia; & hoc est initium viæ illu-  
minativæ, & meditationum ad hanc spe-  
ctantium, quæ disponit, ac ducit ad chari-  
tatem perfectam: nam meditationes præ-  
cedentes spectabant ad viam purgativam,  
& ad tollenda impedimenta salutis omnia.

P Præ,



Præmissa igitur oratione conlueta, sequentia duo præludia adjungito.

Primum sit, ut tibi imagineris ex una parte Christum, in aperto, amænoque campo prope Hierosolymam amabili, placido, serenoque vultu consistentem, in omnem terram, totumque mundum suos, quibus cingitur, Apostolos ablegare & dispergere, ut milites conducant, & ad vexillum Christi, id est, crucem adducant. Ex altera parte tibi imaginare Luciferum non procul Babylone, alto insidentem solio, truci, & terribili vultu, iras, flammæ & minas spirantem, qui & ipse circumfusam dæmonum turbam in totum mundum dimittat eum in finem, ut quotquot possunt, in suas partes, in sua castra attrahant, & sub lunæ vexillo, inconstantia & defectuum symbolo, conscribant.

Secundum sit, ut gratiam petas audiendi, & sequendi vocem Christi, te tam suaviter & seriò invitans; è diverso aures obturandi & tergum obvertendi Lucifero, te tam dolosè pellicenti, & invitanti. Hinc adhibebis hodie sequentes orationes jaculatorias. *Notam fac mihi viam, in qua ambulem. Psal. 142. sequar te Domine, quocunque ieris. Matth. c. 8. Abrenuntio Sathana, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus: Rituale Rom. de sacr. Baptis.*

Dividatur Meditatio in tria hæc puncta  
1. qualitas invitationum tum à Christo tum  
à Luci-



à Lucifero fieri solitarum. 2. Causæ impel-  
lentes ad sequelam Christi, & non Lucife-  
ri. 3. Qualitas illorum, qui se jactant de  
Christi sequela, & reipsa Christum non se-  
quuntur, saltem non seriò & perfectè.

### Punctum Primum.

Considera, quid Christus tibi proponat,  
& promittat, ut te sub suum vexillum, ad  
sua castra alliciat, & attrahat; quid è con-  
trario astutè proponat Lucifer, ut te, de-  
serto Christo domino, sibi succenturiet;  
denique hæc duo invicem componi non  
posse, ut Christi simul, & Luciferi castra  
sequaris, & sub utriusque vexillo milites,  
uno eodemque tempore.

1. Voces & promissiones, quibus te Chri-  
stus sub suum vexillum, ad sui sequelam in-  
vitat, sunt internæ inspirationes, & illustra-  
tiones, quibus te hortatur, & animat, ut  
cum cruce tua sequaris se cum sua cruce  
præeuntem; qui vult venire post me, tollat cru-  
cem suam, Luc. c. 9. spondet se in omnibus  
præituro exemplo, se in fronte aciei, ut  
strenuum ducem decet, semper staturum,  
& pugnaturum; à te nil aliud exigit, quàm  
ut impigrè, & imperterritè se imiteris, &  
sequaris.

Siquis regum subditos suos invitaret  
ad summi momenti expeditionem contra

P 2 in.



injustissimos & perduelles hostes suscipiendam, sub his pactis certò adimplendis; se semper primum futurum, qui in hostem moveat, omnibusque periculis se exponat: se spolia omnia, etiam opima, ex hostes reportanda suis militibus cessurum, solâ sibi servatâ gloriâ, quamvis & hæc in ipsos esset redundatura; victoriam fore facilem ac certam, modò sequi, & pugnare non pigeret; quis unquam ex subditis tam ignavus, & vacors foret, qui non promptè, sub vexillum talis regis convolaret, & se non solum ad pugnandum, verùm etiam ad moriendum cum ipso, & pro ipso sponte offerret.

Ludovicus Rex Franciæ propositum, quod animo conceperat, barbaris justissimum movendi bellum, eisque terram sanctam eripiendi aperturus, non solum totam aulam, sed totius regni proceres convocari iussit; constitutâ die vestitu regio ornatus coram omnibus comparuit, crucem chlamydi regis intextam ostentans: paucis mentem suam explicavit, seipsum cum suo exercitu trajecturum mare ad recuperandam terram sanctam, & loca Christi vestigiis, sudore, & cruore sacrata, ex infidelium manibus vindicanda, invitare se proin omnes in societatem, sub crucis vexillo congregandos, & secum prælia Domini præliaturos. Eam vim habuit apud omnes hæc regis publica declaratio, & invitatio, ut nullus fuerit, qui



se ad regem suum promptè sequendum, & comitandum non obtulerit, nullis absterriti periculis & difficultatibus in re tam ardua: quos inter primi fuerunt non solum tres regis fratres, & omnes reliqui regio stemmate, & sanguine orti principes, sed ipsa regina regis uxor, cum omnibus regni totius principibus fœminis.

Finge tibi, Christum hanc ipsam observare methodum ad invitandos nos omnes, præprimis homines Ecclesiasticos, ac religiosos, tamquam principes in regno suæ Ecclesiæ catholicæ, ad sui sequelam, & ad militandum secum sub vexillo crucis, ut obtineamus, & recuperemus terram sanctam, id est, paradysum, cœlestem patriam; quis, obsecro, è nobis tam vœcors, iners, & ingratus erit, qui Christum Redemptorem, talem regem, DEUM & hominem audire, & sequi renuat, etiam sub cruce sua?

Scire tamen, & meminisse oportet, sub cruce militare, crucem Christi amplecti, nihil aliud esse, quàm amplecti paupertatem, dolores, & contemptus. In his Christus, si attentè ejus vitæ tenorem perpendere placeat, ab ipsa sua nativitate, per totius vitæ decursum, in ipsa morte, prævit exemplò: ut hæc imitemur, Christus nos in Evangelio passim hortatur: ut paupertatem amplectamur, & cor nostrum à divitiis penitus avellamus, si non ipso facto, & effectu, saltem affectu, & seriò desiderio, Luc. 33. quis



non renuntiat omnibus, quæ possidet non potest meus esse discipulus. Ad dolorem salutiferum pœnitentiæ internæ, & externæ conjunctum nos animat Luc. c. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Ad mundi contemptum, & amandam illam humilitatem christianam, quæ magni nominis umbram, & æstimationem hominum, animæ salutis noxiam non curet, Matth. c. 18. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Hinc facile colliges, unde proveniant certi impulsus, quos in corde tuo quandoque sentis, ut bona hujus mundi caduca & fluxa non cures, qualia sunt divitiæ, voluptates, honores; sed his contemptis, omnem affectum & curam ad bona æterna transferas: sunt voces Dei, te invitantis, ut cum cruce tua se, cum suâ præeuntem alacriter sequaris. Gratias age maximas Christo Domino, quod te non semel, sed toties ad sua castra, & obsequia invitare dignetur, etiam postquam à te jam sæpius repulsam passus est.

2. Invitationes diaboli ad sua castra nihil aliud sunt, quàm tentationes, quibus nostrum pulsare non desinit: his te trahere nititur ad amorem omnium illorum, quæ à Diametro sunt contraria bonis à Christo propositis, videlicet: ut paupertatem horreas, fugias; ut bonis terrenis inhies; & hæc est illa *concupiscentia oculorum*, prout illam  
nomi.



nominat S. Joannes in Epistola sua prima; deinde fugias, quidquid corpori, & hujus sensibus molestum, & è contrario avidè aucuperis, quidquid voluptatum sensus titillat, & corpus demulcet: & hæc est celebris illa *concupiscentia carnis*. Demum ut omnem contemptum angue pejus fugias, omnem vel minimam injuriam, si aliter nequeas, etiam ferro ultore vindices, gloriam verò, & existimationem humanam, auram popularem avidissimè veneris, honorum, dignitatum apices ardentè ambias, & secteris: & hæc est decantata illa *superbia vitæ*.

Disce itaque nunc tandem, ex quo fonte profluant illæ animi tui propensiones, & inclinationes nunc ad cumulandas opes, & congerendas divitias; nunc ad procurandas commoditates corporis, blanditias, & delicias, nunc ad tui, tuarumque rerum tumidam jactantiam, & fastuosam ostentationem, ad acerrimè sentiendam, etiam flammâ & ferrò sanandam vel levissimam honoris puncturam, & læsionem. Hæc & plures aliæ his similes propensiones, sunt mera incitamenta, & invitamenta dæmonis, quibus te ad suas partes, sub suum vexillum trahere nititur: & hæc tibi nonnunquam proponentur à diaboli vicariis, & emissariis, à pravis sociis, qui tibi præcinent illud Sapi. c. 2. *venite, fruamur bonis, quæ sunt; & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: vino pretiosò & unguentis nos impleamus, & non prætereat*



nos flos temporis - - - opprimamus paupere  
rem &c.

Et has ipsas invitationes, vel iis similes ad convivia, conventicula, ad tripudia, ad falla, ad inania, ad fucata & deceptoria hujus mundi gaudia quoties non jam audire debuisti à viris, etiam Ecclesiasticis, parvis tecum, vel etiam altioris dignitatis & auctoritatis? Disce cognoscere infectam radicem, ex qua pullulant hi fructus venenati; multum enim proderit ut scias hos, quando tibi offerentur, dextrè repudiare, & ad hos degustandos invitantium, & pellicientium voces, surdis auribus præterire: sæpe credes, te invitari ab amico sincero & felicitatis tuæ cupido, cum sint occultæ insidiæ dæmonis, te perdere quærentis.

3. Nemo sibi imaginetur, se uno humero uni, & altero alteri domino simul, quin alterutrum offendat, obsequia sua addicere, ac præstare posse; seipsum deciperet, audi, quid Matth. c. 6. dicatur: *Nemo potest duobus dominis servire*, nempe inter seipsum semper contrariis, & contraria jubentibus; quales utique sunt Christus Dominus, & perfidus Lucifer, æterni, & juratissimi inter se inimici.

Pauci sunt ex Ecclesiasticis, qui palàm se dæmonis partes sequi profiteantur; quod tamen non pauci ex sæcularibus publicè profiteri minimè horrent; sunt tamen complures etiam ex Clero, qui volunt esse, &

sc



se exhibere ambidextros; profitentur vitam clericalem, unice DEO & hominum procurandæ salutis impendendam; interim tamen si non unicum, saltem præcipuum illorum studium est corradere pecunias, coemere fundos, augere redditus, & infarcire crumenam, & utinam modis & mediis semper licitis!

Quæritur, & procuratur vita semper commodior, & mollior, omnibus molestiis libera, & utinam semper sine Dei offensa! quæritur & procuratur semper gradus altior, dignitas sublimior: faxint superi, ut hæc exaltatio non fraudibus, simoniacis artibus, calumniandô & deprimendô alios, obtineatur! verbo, multi vocantem Christum sequi vellent, ita tamen, ut luciferi invitationes negligere nolint: sed ne vos ipsos decipiatis, cavete; non potestis ambos hos dominos repudiare, nec ambos acceptare: tantum uni vel alteri necessario adhærendum, & serviendum est. In tuo arbitrio solum est, unum ex ambobus eligere, qui tibi magis placet; sed caveto, ne eam facias electionem, cujus te æternum poeniteat.

### Punctum secundum.

Confidera causas, te ad sequendum Christum, & deserendum luciferum impellentes;

P 5

quæ



quæ licet sint plurimæ, tamen ad tres præcipuè reduci possunt; quòd ad hanc Christi sequelam nos impellere debeat iustitia, convenientia, & propria utilitas.

1. Sequi titulo iustitiæ debes Christum, cum sit legitimus Dominus tuus; Lucifer verò dominus intrusus regni usurpator, ac tyrannus; imò miserrima, ac detestabilis creatura. Titulus hic iustitiæ nititur fundamentis firmissimis; qualia sunt, excellentia suæ naturæ Divinæ; potentia, qua nos creavit; ingens pretium, quo nos redemit. Itaque noster absolutissimus Dominus est Christus, quia est noster Deus, noster creator, & noster Redemptor.

Quod primum attinet, observa, omnis domini naturalis basim esse naturæ excellentiam; & hæc causa est unica, cur creaturæ inferiores serviant superioribus; elementa plantis, plantæ animalibus, animalia hominibus; & intra limites ipsius naturæ humanæ foemina viro subjecta est, tanquam individuum imperfectum alteri individuo magis perfecto, & numeris omnibus intra suam speciem absoluto. Magnam Christo Domino inferres injuriam, & committeres injustitiam, si recusares te illi subdicere, cum ipse ut Deus, infinites sit superior tuâ limitatâ naturâ; atque ideo obstringeris ipsi exhibere infinitam subjectionem; & hanc ipsam ob causam seipsum ita alloquitur David Psal. 61. *Nonne Leo subjecta erit anima*

*mea*



mea; nam & ipse Deus meus. Tu etiam equo indignaris sternaci, & recalcitranti, ob illud dominium, quod in equum habes; & tamen non nisi unico gradu superior es equo: & anima tua subiecta esse recuset Deo, qui illam superat infinitis perfectionum gradibus?

Quod concernit secundum; observa artificem operis, quod elaboravit, fieri dominum: Pictor fit dominus imaginis, quam suis coloribus, & pennicillis in sua tela eleganter expressit: sculptor illius statuae, quam ex marmore, vel ligno formavit: & tamen nec marmori, vel ligno hic suam soliditatem, sed solam figuram; nec ille telae texturam, sed solam colorum distributionem, ac partitionem contulit. Quàm longè altius dominium in nos omni jure hinc competet Christo Domino, cum nos creandò cumlaverit omnibus illis bonis, & donis, quae possidemus; quidquid sumus, & quidquid habemus, ipsi debemus. Imò cum illa potentia, quâ nos creavit, fuerit infinita, quali opus est ad aliquid producendum tam ex nihilo sui, quàm ex nihilo subiecti; hinc per solam creationem acquisivit in nos dominium aliquod infinitum, & nos obligamur ad subjectionem aliquam infinitam erga ipsum: adde, quòd titulus creationis singulis duplicetur momentis; nam singulis momentis Deus nobis conservat omne id, quod in creatione dedit; quia juxta Philosophum *conservatio est continuata productio.*

Tu



Tu exandescis in illum, qui fructus tui agri, vel horti furatur, quia per hoc sibi jus, & dominium aliquod arrogare videtur, utendô re tuâ, tanquam suâ, ac propriâ: & tamen tu nec terram condidisti; nec plantas, nec fructus produxisti: tu terram aridam nec pluviis fecundasti, nec rore irrigasti, nullos ex sideribus influxus demisisti. Quàm longè majori jure tibi Christus Dominus succensere poterit, si temerariè resuses, & ipsi deneges tot titulis debitam subjectionem, si tui ipsius, ac tui liberi arbitrii plenum dominum agere, & hanc tibi à Deo concessam animi libertatem divinæ legi submittere detrectes.

Tandem tertio adverte, te novô titulo dominum fieri alicujus fundi, vel prædii, prius justè possessi, sed postmodum injustè erepti, si numeratô justô pretiô illud ab iniquo possessore, vel invasore recuperas, & redimis. Hinc Christus Dominus novô & justissimô titulo plenum & ætissimum jus ac dominium non solum jurisdictionis, sed etiam proprietatis acquirit; cùm enim nos ipsos perfidè ejus dominio, & imperio subtraxerimus, in miseram servitutem abstracti, peccati, dæmonis, & æternæ mortis infelicissima mancipia effecti simus, ille nos ab ea miseria exemit, & redemit, expendendô infiniti pretii thesaurum, quem venis sacratissimis inclusum servabat: *non estis vestri, empti enim estis pretio magno* 1. Cor. c. 6. Hac

de



de causa pariter Christus infinitum habet jus dominii in nos; nam ad nos redimendos, ad delendum, & lacerandum chyrographum, quo nos vendidimus, & addiximus pœnis inferni, necessarium fuit, expendere, & in crucis statera numerare pretium infinitum, quale fuit pretium sui sanguinis.

Hic quoque locum habet superius instituta calculatio: nam sicut tot novis vinculis adstringimur ad adhærendum, & serviendum Deo, tanquam nostro creatori, quot momentis ille nos post creationem conservat; ita pariter concludendum est, tot nos novis vinculis adstringi ad Christum Dominum sequendum, & unicè amandum, tanquam redemptorem, quot guttulas sanguinis sui pretiosissimi ille ad nos redimendos profudit; præsertim cum etiam unica, eaque minima guttula, non solum sufficiens, sed superabundans pretium fuisset, ad omnes homines redimendos. Ex hætenus dictis, & attentè perpenſis, facile colliges, quanta sit injustitia, quàm enormis sit injuria, quæ Christo Domino inferitur ab iis, qui recusant, & pertinaciter negant, se illi subicere, & obedire.

2. Christo adhærendum ob decentiam, ut impleas promissa toties facta, & iterata. Primam promissionem Deo serviendi, & Christum ducem sequendi fecisti, cum sacro baptismate ablutus, & Ecclesiæ Catholicæ aggrega-

ga-



gatus fuisti; tunc enim tu, vel alius tuo nomine ita loquebatur, & disertè respondebat: *abrenuatio sathana, & omnibus pompis ejus.*

Hanc solemnem promissionem toties renovâsti, quoties poenitentiae Sacramentum suscepisti, tunc coram Deo serium semper propositum concepisti, peccatum, & omnes ad hoc inducentes occasiones vitandi, & sub vexillo crucis Christo duce constanter militandi.

Aliàs quoque, cùm è sacris suggestibus verbum Divinum prædicari audivisti, aut libros sacros ipsemet evolvisi, vel animum tuum discussisti & conscientiam rigidè examinâsti, hanc ipsam promissionem iterâsti.

Singulariter fidem tuam Christo obstrinxisti, quando sumpsisti ejus insignia, & vestes servitutis, hero addictæ indices, & testes, nempe vestes, Ecclesiasticas, hac ratione publicè profitendô non solum interiùs, sed etiam exteriùs, te ab amatoribus mundi, & Luciferi sequacibus separatam, soli Deo adhærere, & servire imposterum velle.

Erubesceres non modicè, si vel semel datam homini fidem frangeres ac promissis non stares, & quidem meritò: & Deo toties datam, tam sanctè promissam & oppignoratam fidem perfidè frangere non pudebit.

3. Ut



3. Ut nomen des sacra militiæ sub vexillo Christi Domini contra Luciferum, impellere te debet etiam propria utilitas. Perpende tantisper, & pondera stipendium, vel salarium, quod Christus suis, dæmon verò suis servis & militibus promittit, ac solvit. Hic promittit suis asseclis stipendia pauca, & exilia; voluptates momentaneas, divitias caducas, fluxas; honores, pompas, dignitates vanas, inanes, instar fumi evanescentes: & de his ipsis, parùm, vel nihil præstat.

Spondet Adamo & Evæ, eos gustatò pomò mortem non gustaturos, & tamen ob hoc ipsum mortui sunt, & mortem derivârunt in omnes posteros suos infelices. Promisit divitias illis, qui divitiis avidè inhiabant, & nihilominus post mille impensos labores, post mille adhibitæ artes se spebus & rebus deprehenderunt defraudatos; *nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis Ps. 75.* Quando autem modicum quid de iis, quæ promisit, dæmon compartitur, exigua illa dulcedo, tot & tam amaræ reæ conscientia remorsibus suffocatur, ut tot, & tam acerbis pœnis emi nullatenus mereatur tantilla titillatio: faterur hoc apertè David pœnitens Plal. 34. *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.* Tandem si per plures annos cumulatis, & continuatis sceleribus indurata conscientia omnem sensum amitteret, & omnium stimulorum ac remorsuum acies

acies



acies obtunderetur penitus, prout Luthero, aliisque profligatæ vitæ hominibus evenit; si per mille annos in summa quiete frui daretur sub diaboli dominio omnibus promissis deliciis, & gaudiis, tamen his elapsis non per mille annos, sed per mille millena & infinita sæcula in inferno ardendum, & pœnæ æternæ erunt sufferendæ, tunc eris ille hominum stultissimus, qui pro mellis guttula obtinenda, qualis re ipsa est omne bonum finitum & temporarium, velit demergi in immensum mare sellis?

Jam ex opposito considera stipendia, quæ Christus Dominus promittit, & præbet suis militibus & servis. Verum quidem est, quod hi non rarò in hac vita variis premantur tribulationibus, & adversitatibus, paupertate, fame, siti, contempti velut omnium peripsema, Christo Domino, & duci suo similes facti: sed hæc tribulationes internis animi solariis ita condiuntur, ut his comparata omnia mundi oblectamenta insipida, & amara sint.

Israëlitis post longum, & asperrimum iter promissa fuit terra melle & lacte fluens pro stabili quiete; & tamen in ipsa etiam viâ tam difficili non defuit suavissimum Manna angelicum sellis viatoribus: simili modo Christus Dominus suis servis & asseclis promittit post confectum peregrinationis hujus iter gaudia æterna, simul tamen durante adhuc arduo itinere, viatoribus suos abstergit

sudo.



sudores, suis succurrit gratis, & efficacibus auxiliis. Sola conscientiae bonae pax & tranquillitas omne pondus & onus cruci & jugo Christi adimit, illudque suave reddit, ac leve. Sic D. Augustinus cum Dei gratiâ hujus mundi voluptatibus prius adeo dilectis etiam cum gaudio caruit: *voluptates, quas amittere metus erat, jam dimittere gaudium est.* Fac & tu rei periculum; & experieris, dulciores esse poenitentium lachrymas, quam risus & cachinnos effusos in theatris; lusibus, & conversationibus.

Sed demus; sit jugum Christi grave, sit crux Christi ponderosa: Qualis proportio inter has poenas & afflictiones transitorias, & inter delicias aeternas, quibus Christus remuneratur suos fideles servos? Labor tuus erit brevis & levis, merces uberrima, & aeterna, credito, & dicit: *non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Si Deus à te exigeret, ut sustineres omnium Martyrum tormenta, exigua haec forent omnia, si comparentur cum infinito illo premio, quod tibi praeparatum servat in caelo: Quanto magis cum à te requirat tam pauca & tam parva? statue proin, & serio propone Christum sequi, ejusque sanctam voluntatem, te ejus submitteudo praecipis, heroicis virtutum actibus compensando priorem tepiditatem, tempusque perditum redimendo; cum tot titulis dignissimus sit, cui ferventer & fideliter serviatur.

Q

Pun.



## Punctum tertium.

Considera diversi genii & generis homines, qui profitentur, se Christum sequi, horum aliqui Christum non sequuntur seriò, nec toto corde; alii non perfecte.

1. Inter illos, qui Christum non sequuntur seriò, numerari possunt, & quidem primò locò certæ animæ pigræ, & ignavæ, quæ semper vellent, & nunquam seriò volunt; semper in utramque partem claudicantes; & ita differunt suam ad meliorem conversionem de die in diem; *vult & non vult piger* Prov. c. 13. vellent acquirere virtutem sine labore; patientiam, quin aliquid paterentur; castitatem sine carnis & sensuum refrænatione; humilitatem sine humiliatione. Si & tu ex horum numero esses, similis esses ægroto, qui quidem sanari cupit, interim adduci non potest, ut medicinam aliquam adhibeat. Non nimium fidatis dilationibus; nam faciliè interim elabi potest tempus aptum, gratia necessaria, & ipsa voluntas, quæ semper & indies magis malo assuescit, & indurescit.

Alii sequuntur quidem Christum seriò, sed deest constantia: hodie sub Christi jurant vexillo; cras ad vexillum Luciferi deficiunt viles & perfidi transfugæ: hodie pœnitent ipsos suorum peccatorum, cras ipsos  
pœni-



pœnituisse pœnitet; si & tu in eâdem cum his nave navigares, similis esses illi ægroto, qui præscriptas à medico medicinas nunc adhibet, paulò pòst nauseat, & cum stomacho rejicit, & ideo nunquam pristinam sanitatem recuperat.

Alii sequuntur quidem Christum seriò, ac constanter, cum aliqua tamen exceptione & conditione; impendere se quidem volunt virtutum studio, sed ex suo tantum genio, & placito: largiuntur eleemosynas, sed non solvunt debita: indicunt sibimet ipsis spontanea aliqua jejunia, sed à jejuniis in Ecclesia præscriptis se curant eximi: summa attentione pensiculatè recitant certas orationes; persolvunt devotiones ultrò susceptas, preces verò canonicas, vel alias, ad quas legibus adstringuntur, perfunctoriè deblaterant, vel præcipite lingua, elisis syllabis truncant & mutilant. Religiosè observant præcepta omnia; in uno tamen semper deficiunt, immemores, quòd *qui offendit in uno, factus sit omnium reus.* Jacobi c. 2. Si in hac hominum classe fores, similis esses illis ægrotis, qui volunt medicinas juxta suum gustum, & palatum, & non juxta judicium medici; & ideo nunquam suis morbis liberantur.

Christo Domino serviendum est ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus, constanter, sine omni exceptione, & con-

Q 2

ditio.



ditione; aliàs nec verus, nec sincerus servus Christi Domini es.

2. Inter illos, qui seriò & ferventer Deo serviunt primò locò statuendi sunt illi, qui mallent millies mori, quàm quacunque demum de causa, graviore ac mortali peccato Deum offendere; quamvis de vitandis peccatis venialibus non admodum solliciti sint.

Secundò & in longè altiore gradu constituti sunt illi, qui ob nullam rem, quantumcunque pretiosam, ne quidem ad servandam vitam ipsam, induci se sinunt ad committendum deliberatè vel minimum peccatum veniale; hi tamen nihilominus præhabent divitias paupertati, ubi nullum intervenit peccatum, ne leve quidem; suas commoditates incommodis, & molestiis; honores ac dignitates contemptui, & vilipensionibus.

Primæ classis Christiani sunt boni; secundæ classis sunt meliores, tertiæ classis sunt optimi, nimirum, qui ardentissimò Christum seriò sequendi, ejusque vestigia arctè premendi studiò impulsus eligunt, ut se Christo, quàm possunt, simillimos reddant, cum Christo paupere, contempto, crucifixo pauperes, contempti, & afflicti, doloribus obruti esse cupiunt in hac vita, etiamsi pat Dei gloria foret, si fruerentur divitiis, honoribus, deliciis hujus mundi; præferuntque casto amore omnibus mundi bonis, divi-



divitiis, deliciis, pompis, honoribus Christi paupertatem, nuditatem, abjectionem, tormenta omnia, & cruciatus.

Te ipsum jam interroga, & examina, ad quem ex his gradibus eluctatus sis; & omnem conatum adhibe, ut ad supremum pervenias, & inter bonos Christi servos, optimis annumerari merearis.

Dēus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis, qui christianâ professione censentur, & ea respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea, quæ sunt apta, sectari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

## *Dies septima*

### *Meditatio decima tertia.*

#### *De Christi infantia.*

PERACTÆ orationi præparatoriæ subjunges duo sequentia præludia.

1. Imaginare, te ingredi stabulum Bethlemiticum, in quo adorabis divinum infantem, Verbum incarnatum, non aliis cunis,

Q 3 quàm